


solvunt, primo ascenderent. Grave igitur (ut sunt omnia gravia) contra naturam ascenderet. Atque ideo tardius moverentur. Et cum ad rotunditatis summum pervenissent, ad alterum littus, veluti fermentur in præceps. Quæ res, ut nullo experimento constat, ita est impossibilis, ut gravia scilicet sursum ferantur. Sequentur etiam impossibilia alia non pauca. Nam si inter omnia bina littora, mare in medio attollitur, inter insulas frequentes, ut sunt in Dalmatia ad Iaderam, et ultra Epidaurum; ut sunt in Ægeo, ut sunt in India ad Maldivarem, et alibi sæpissime, frequentes etiam essent inter eas, quaquaversum rotunditates sibi ipsis interdum contrapositæ. Exemplis id exponamus. In Adriatico e regione oppidi Thermularum, tres sunt Diomedeæ insula quas hodie Tremidi appellant. Si quis igitur, a Thermulis ad proximiorem, quam Caprariam dicunt, navilio solvat, inter littus illarum, ac littus huius, rotunditatem inveniret, si vero aliis ab Oppido Vico, quod est in Italia littore eandem peteret Caprariam, alio situ, staret rotunditas. Sunto Thermulæ ubi T. Capraria ubi C. Vicum ubi V. Tunc una rotunditas ab Africo ad Septentrionem inter T. et C. intumesceret, alia ab Euro in Corum inter C. et V. situ staret diverso. Item alia a Capraria C. ad Lissum L. insulam a meridie ad Septentriones, a Lrosso L. ad Casolum Cas. ab occasu ad ortum. Lrosso ad Melisselum alia. Hæc subdita ostendit delineatio.



Qua rotunditate tam varia delineatione, nihil ridiculosius. Nam hæc omnes tum inter se sunt differentes, tum ab aliis different, quæ a Melisello ad Anconam, aut ad Sanctum Archangelum, aut ad Polæ promontorium, aut Venetias protenderentur. Si vero quis, ne in risum res versa videretur, diceret. In magno pelago rotunditatem esse, inter proximas insulas non esse; interrogaremus nos. Cur in magno, et non etiam in parvo? Cum tota aqua sit homogenea, et eiusdem naturæ, atque ideo figuræ etiam eiusdem; quod guttularum, et pocolorum allatores autumabant. Cur in eadem natura tanta diversitas? Si dicant, hæc non in parvis spectari maribus debere, verum in Oceano. Si causam non reddant, ridendi erunt. Sed esto in Oceano experiamur. Maximo omnium tractu, et nullis insulis impedito, per gradus CCXXX ab Ambone insula Orientali, usque ad Magellanicum fretum. Medium itineris huius sub insula fuerit Madagascare. Ibi, si verum sit Oceanum rotundum esse, ingens mons aquæ fuerit. Si ergo a Magellanico navis solvat versus Ambonem cui dubium, eam a declivi littore, versus aquarum cumulum ascendere? Quo casu, et gravia sursum fermentur, et egerrime fermentur. Ad summum cumulum cum perveniret, media velocitate in eo versaretur. Inde ad Ambonem in declive, ac ferre in præceps ferretur velocissime. Quorum nihil nautæ experiuntur. Imo velocitati huic tertiae, contrarium experiuntur. Semper enim Oceanus ille, ad Magellanicum fertur ocissime. E contra alia navis ab Ambone si solvat, difficile ascendet ad